

Quis enim dubitet, quin ea sit levior, ac rarior, quæ plus aeris, aut ignis participat, quam aqua? Ad hæc terra ipsa per se omnis exiccat, sed varias sortitur facultates pro varia eorum, quæ ei admiscuntur, qualitate. Nam illa, in qua sit aqua frigida, adstringit: quæ ignem accipit, aeris est: quæ aerem, glutinosa, & levis: quæ aerem & ignem, levis & acris. Illa vero, quæ sibi sulphur adiungit, aut alumen, aut chalcantem, aut metallum aliquod vel fossilium succum, facili quidem gustu, ac etiam olfactu cognosci potest. Nec de his plura dicenda sunt, quod mihi planè persuadeam huiusmodi qualitates nulli non cognitu faciles futuras, gustu duntaxat iudice, qui tamen dulcia ab amaris, acris ab acidis, salsa ab insipidis, acerbis à maturis discernere sciat. Terra autem, quarum in medicina est usus, sua mutantur nomina partim à locis, ubi effodiuntur, & asportantur: partim à coloribus, quibus insciuntur: partim à facultatibus propriis. A locis enim denominantur Lemnia, quod ex Lemnio insula deferatur. Samia, quod ex Samo: Chia, quod ex Chio: Cimolia, quod ex Cimo: Eretria, quod ex Eretria Eubæa civitate: & Pnigitis, quod ex Pnigite Libye pagus. A colore appellationem trahunt Rubrica, & alia nonnulla. A facultate denique, nomen accepit Ampelitis, quod ejus sit usus ad illinendas vites sub germinationis tempus adversus erucarum injurias. Et ut aliorum quoque, fossilium colores percurramus, colore albo constant, creta coloresque sarcinatores utuntur, gypsum, alumen, amiantus, Arabicus lapis, Judaicus, melitites, galactites, alabastrites, crystallus, argentum, argentum vivum, stannum & sincerissimum marmor. Colore cinereo produntur Melia terra, & Eretria altera. Ceruleo vero colore spectantur sapphyrus, cyanus, & lapis proprie ceruleus dictus. Virent smaragdus, prasius, chrysocolla, & chalcantem. Flavolutescente colore sunt aurum, ochra, chrysopatus, chrysolitus, & auripigmentum. Ruber tinguntur rubini, granati, sandaracha, corallium, hamatites, scissilis lapis, minium, cinnabaris, rubrica, & Lemnia terra. Quadam colore purpureo fulgent, ut hyacinthus, & amethystus. Alia ceruleo diluto visuntur quemadmodum jaspis, quem boream dicunt. Nonnulla ceruleo virent, ut arugo, & Armenius lapis. Alia albo rufescente, ut aphrodisiæ. Quadam rufo candicante, ut xanthos. Quadam nigro rufescente, ut tertia batrachitis species. Aliqua atro purpurascens, ut alabandicus lapis. Alia aureo candicante, ut topatius. Sed plura separatim colores habent, ut nigro, albo, & quovis versicolore, ut achates. Apfition vero nigram rubentes vena distinguunt. Contra nasomontes, cum sit sanguinis colore, nigris venis decoratur. Vena autem, quæ speciem præ se ferunt sanguinis, intexta quodammodo sunt heliotropis, corpore porracei coloris. At in ceruleo sapphyro aurea puncta collucent. Quinetiam quadam sunt, quæ tres separatim habent colores: nam per album ægyptellæ corpus duæ venæ permeant, altera nigra, altera rubra. Porro eupetalos, & orca quatuor habent colores: eupetalos enim ceruleum, igneum, minij, mali: orca vero nigrum, fulvum, viridem, candidum. Versicolores postremo nonnulla habentur, non aliter ac collum gallinæ Numidicæ vel pavonis, aut columba in sole apricantis, ut cristalli, & pederotum genera: ea enim ad inclinationem colores permutant. Caterum sciendum est, quod ex fossilibus, quæ in medendi usum recipiuntur, alia quidem corpora sanant, alia vero eadem affligunt, in cibo vel potionibus data. At quæ remedia corpori sunt, medentur ei partim proprietate totius substantiæ, partim qualitate aliqua, quæ profligantur facultatibus.

30 Quæ remedia corpori sunt, medentur ei partim proprietate totius substantiæ, partim qualitate aliqua, quæ profligantur facultatibus. Quæ autem proprietate valent, earum quadam resistunt venenis, quadam morbos sanant. Quibus natura de- dit vires superandi venena, eorum alia corpora, quæ pestilentia sunt affecta, curant, ut smaragdus, sigillum Lemnium, gleba Armeniæ. Alia singulari veneno medentur, sicuti scorpionum ictibus sapphyrus potius, sulphur plagæ illitum: fungis strangulantibus, nitrum potius, ac pariter atramentum sutorium. Alia pluribus adversantur venenis, ut sal, morfigus viperæ, cerastris, ac crocodili, his enim emplastri modo imponitur: sed potius opto, & fungis presidio est. Quibus vero fossilibus comparatum est, ut morbos proprietate fugent, eorum quadam sanguinis profluvium sistunt, ut hieracites: alia os ventriculi gestatu & appositu roborant, veluti jaspis: alia sinistro mulieris brachio adalligata abortum prohibent, ut ætites: alia item ad femora pregnantis adalligata partum accelerant, ut idem ætites, & jaspis. Sunt quæ crassa corporibus deficiunt, ut magnes: alia atram bilem, ut Armenius, & ceruleus lapis: nonnulla vomitum faciunt, ut idem Armenius lapis, chrysocolla, & chalcantem. Sed inter ea, quæ elementaribus qualitatibus agunt, calefaciunt alumen, chalcantem, chalcitis, misy, sory, melantheria: refrigerant, terra Eretria, molybdoïdes, stibium, argenti spuma, cerussa. Quæ autem secundis qualitatibus operantur, quadam molliunt quæ dura sunt, ut gagates: quadam contra inducunt quæ mollia sunt, ut lapis plumbarius, & stimmi. Sunt & quæ insensibiles ferè poros aperiant, & quæ claudant: aperit enim nitrum, spuma natri: claudit terra Samia, & in summa omnis terra glutinosa. Alia quæ corpori coeunt, nempe glandulas, & nodos discutiunt, ut pyrites, molaris, bitumen. Aliqua cicatricem inducunt, ut chalcitis misy, alumen, scissum. Nonnulla carnem excrecentem minuunt, ut assij lapidis flos, arugo, chalcantem, chalcitis, misy, calix viva, auripigmentum, sandaracha, chrysocolla. Non desunt etiam, quæ diversis viribus prædita sint, ut cimolia, & sal: cimolia enim reprimat, & discutit: sal abstergit, & adstringit. Sunt denique, quæ vires easdem habeant, ita ut deficiente una, altera ejus locum suppleat. Siquidem chrysocolla, & lapis Armenius eundem effectum præbent: auripigmentum, & sandaracha: hamatites, & scissos: atque hæc quinque, chalcantem, misy, chalcitis, sory, melantheria inter se viribus consentiunt. Veruntamen ex his chrysocolla vim efficaciorē obtinet, quā lapis Armenius: auripigmentum, quā sandaracha: hamatites, quā scissos. chalcantem, quā reliqua sibi cognata. Caterum non pauca reperiuntur fossilia medicamenta (ut fusi libro sexto dicitur) quæ in cibo, aut potu frequentius, aut copiosius sumpta, vel maxime summentes affligunt, vel ipsi mortem inferunt. Idque efficiunt, vel quod viscera erodant, veluti sandaracha & auripigmentum: vel quod spirandi organa ocludant, ut gypsum & cerussa. Sed hæc de fossilium facultatibus. Nam de concretis succis, cujusmodi est sal, nitrum, alumen, chalcantem, & cetera, quæ cum eo cognationem habent, sulphur, sandaracha, auripigmentum, chrysocolla, & alia nonnulla, in huius libri processu suis locis latius tractabimus.

Αμπλ & διωφέρος.

VITIS VINIFERA,

CAP. I.

60

Folia vitium, & triti capreoli, capitis dolores illitu mitigant & inflammationem stomachi, ardoremque cum polenta. Folia etiam per se, ut quæ refrigerent, & adstringant, imponi solent. Potus eorum succus dysentericis, sanguinem excreantibus, stomachicis, & gravidarum malaciæ medetur. Eadem efficiunt madefacti in aqua capreoli, & poti. Lacryma vitium, quæ veluti gummi in caudicibus concrevit, ex vino pota calculos pellit: illita lichenas, & pforas, leprasque, nitro prius perfritas, sanat: eadem cum oleo sæpius pilis illitis, psilothri effectum habet: maximeque sanies, quam accensa sarmenta vitium viridia exudarunt: quæ & perunctæ verrucarum informicationes extrahuntur. Cinis sarmentorum, & viduaceorum, detrahis in sede condylomatis, & thymiis, illitus ex aceto medetur: prodest luxatis, & viperarum

Gggg 2

VITIS VINIFERA.



rarum moribus: contra lienis inflammationem illinitur cum rosaceo, & ruta, & aceto.

Λάβρα. LABRUSCA. CAP. II.

Labrusca duorum generum est. Alterius uva non maturefcit, sed floretenus cenanthen nominatam perducit. Altera ad frugem pervenit, parvis acinis, nigra, & adstringens. Folia, caules, & claviculae, quibus repunt, vim habent cultae vici similem. 10

Σταφύλη. UVA. CAP. III.

Uvae recentes alvum turbant, & stomachum inflant: innocetiores, quae decerpae diu pependere, ideo quod in eis copia humoris exiccatur, utilesque sunt stomacho, aegrisque, atque cibi aviditatem excitant. In vinaceis, & ollis servatae, ori & stomacho gratiae sunt, alvum sistunt, sed vesicam, & caput tentant: & sanguinem excreantibus conveniunt. 20 Similesque, quae in musto fuere. Sapa, aut passo conditae, stomachum magis infestant. At quae solem prius passae, in aqua celesti conduntur, minus vinosae sunt, siticulosis, ardentibus, & longis febris salubres. Reconditi vinacei inflammationis mammis, rigentibus, ac praeduris, cum sale illinuntur. Decoctura eorum dysentericos, coeliacos, & foeminas fluxione vulvae laborantes juvat infusa: ad defeciones, ac foras assumitur. Nuclei acinorum adstringendi vim obtinent: stomacho utiles sunt. Inspargitur 30 farina tostorum, polentae modo, dysentericis, & coeliacis, & solutis stomacho.

Vitium omnium genera, quae non modo gratissimas, dulcissimasque, uvas ad cibos proferunt, verum etiam ex his vinum precipuum humanae vitae bonum, suavissimumque, potum largiuntur, quot & qualia sint, hic scribere supervacuum esse puto. Quandoquidem earundem dulcedine humanum genus allecitur, adeo eas sibi conciliavit, familiaresque, reddidit, ut nullus tam clarus quam obscurus, tam nobilis quam ignobilis, tam denique, urbanus quam rusticus inveniat, qui de vitium generibus, earumque historia non possit apte, atque etiam distincte loqui. Ut autem & vites ipsae, & vinum a quorundam vermiculorum erodentium vindicentur injuria, illud omnino silentio involvendum non duximus: quod si dum a sarmentis repurgantur, ac putantur, salx hirci sanguine oblinatur, vel ea ipsa prius cotem experta, castorei corio affricetur, 40 nuper emissa gemma (si tam a rei agrariae authoribus fides adhibenda est) ab erucis minime erodi possunt: neque, etiam emissa jam folia, ab aliis quibusdam vermiculis convolvi. Praeterea non ignorandum est, quod magna admodum injuria vitibus infertur, atque, viti maximum detrimentum, si brassica feratur inter vites: siquidem perniciose uni cum altera odium intercedit. Quod cum animadvertent rei medicae scriptores, precipuum ebrietati antidotum in brassica collocarunt. Ea enim si cruda praesumatur (ut apud plerumque nationes in caena initio capitata brassica minutim rescissam, lactuca & intubi loco in acetariis recipi observavimus) ebrietatem futuram mirum in modum arceat, quemadmodum interponant, vel recentem, vel muria asservatam. Ad Elephantinem (ut Theophrastus est autor) itemque, circa Mem- 50 phin, vites perpetua fronde virent: tamen si annuas tantum proferant uvas. In Italia vero vites habentur, Plinio insanae appellatae quae ter in anno florent, sed primas tantum maturant uvas. Uvas sine vinaceis quidam provenire affirmant, si propaginum ima pars, quae terra in serobe obrui debet, arte plantationem adeo secetur in longum, ut medulla utring, eximatur, ac deinde conjunctis partibus, & ulneo cortice circumvolutis, propagines ipsae suis scrobibus implantentur. Sed ut jam viti suas redilamus facultates, Uva (ut Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus memoria prodidit) quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutrit, minimumque, praevi succi habent, praesertim cum ex actam maturitatem fuerint adeptae. Porro quod ipsa nutrant, maximum amento sunt illi, qui vinearum fructum custodiunt: quippe qui tunc temporis uvarum esu admodum pinguescant. Caterum non omnes uno quidem modo nutrant, quoniam quae dulces existunt, cateris succum habent calidiorem: ob id sunt siticulosa: ac ventriculum inflant, & alvum subducunt. Contrarium efficiunt austera: siquidem, & ventrem cohibent, parum nutriunt, egregie concoquuntur. Acerba autem vitari prorsus debent, utpote quae ventriculo adversentur. Uvae co laudabiles, quod carnosiores fuerint, praesertim cum probe matura a vite decerpuntur. At pensiles, si prius matura sint, & dulces, cateris minus ventriculum inflant, & alvum convenienter emolliunt: haec Galenus. Uva recens probe matura praestat auxilio magno ad ambusta, si manibus pressa adeo ut vinum reddat, ambustis partibus illinatur. Namque non solum dolorem illico sedat, sed vesicas fieri prohibet. Vitis, quae Graecis Λάβρα & Λάβρα, Latine Vitis vinifera appellatur: Arabibus, Harin, seu Karm: Italis Vitis vinifera: Germanis Weinreb: Gallis, Vigne. Quae vero Λάβρα & Λάβρα Graecis Labrusca Latine dicitur: Italicè Lambrusca: Germanicè Wildweinreb: Gallicè Vigne sauvage. At Uva Latine ac Italis Σταφύλη Graecis vocatur: Arabibus Haine: Germanis Weinber: Gallis Raisin. 60

Σταφύλη

UVa passa alba adstringentior est. Prodest esitata caro earum tussi, faucibus, renibus, ac vesicæ. Estur in dysenteria per se cum nucleis: & decocta in parinis cum melle, admista milii, ac hordei farina, & ovo, valet ad purgandum caput: ejusdem gratia cum pipere commanducatur. Testium inflammationes sedat, illita cum lomento fabarum, & cumini farina. Favos, epinyctidas, carbunculos, enatas in articulis putredines & gangrænas, sine nucleis trita, & cum ruta imposita sanat: podagræ convenienter cum panacis succo illinitur: mobiles ungues illita, celerius extrahit.

* UVA PASSA. *

UVas passas, quarum ubiq; vulgaris & frequens est usus, omnibus notissimas esse arbitror. Veruntamen non est, meo quidem iudicio, credendum, quod cum de Uvis passis mentionem faciunt Galenus & veteres alij, parvulas illas tantum intelligant, quæ hoc tempore ex quibusdam Aegæi insulis ac Peloponneso Venetias convehuntur, & in quibusdam etiam Italia locis insolantur: siquidem Galenus nulla magnitudinis, vel parvitaris habita ratione, omnes in universum uvas solis calore siccatas passas appellat. Id quod ipse Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus hîs verbis peculiariter, Porro quemadmodum passarum differentia, quæ a colore sumitur, nihil ad passarum facultatem confert, ita nec magnitudo: sola autem qualitas, quæ gustu, inest, differentia potest omnia. Ex his nimirum Galeni verbis satis colligi potest, ipsum omnis generis uvas, quæ solis fervore succescunt, nullo prorsus discrimine passas appellasse, nempe Damasceñas cateris grandiores (zibibum officina vocant) ac pariter his congeneres, quæ à Smyrnis (ut ajunt) Cypro, & Creta comportantur. Præterea loco citato idem Galenus ita scribit: Nonnulli autem, & rectè sanè, è dulcibus, grandibusq; quales sunt scybelitides, priusquam mandant, semina eximunt, quæ & ipsa inveterata, curim duram, crassamq; habent, easq; prius in aqua coguntur macerare: nam & semen ipsum facilius sic eximitur. Aliæ quædam sunt his contraria, solida & crassa, quæ nullum prorsus semen habent. Crescunt hæc in Cilicia, colore sublavio: In Pamphylia autem scybelitica, & colore nigra: quæ, ut dixi, sunt maxime: hæc ille. Caterum sciendum est, non omnes Uvas passas ejusdem esse facultatis: alia namq; facultas inest dulcibus, alia austereis, alia vinaceis habentibus, alia non habentibus. Quæ itaq; vinaceis carent, vel quod ita natura producantur, vel quod hâc arte fuerint exempti, si dulces sint, adstringente facultate usq; adeo privantur, ut etiam mirifice leniant: quamobrem pectoris angustie, tussi, exasperatis faucibus, & renum vesicæq; vitis maxime conveniunt. Id quod planè confirmat Galenus libro septimo, & octavo de compositione medicamentorum secundum locos, ubi uvas passas sine vinaceis leniendo pectori, ac jecinorosis plurimum commendat. Contra verò facultate omnino adstringente censentur, quæ cum suis vinaceis manduntur. Quod cum non ignoraret Dioscorides, Uvam passam cum nucleis in dysenteria edendam esse tradidit. Hinc itaq; fit, ut maximo in errore versari existimem Medicos alioqui aratibus nostræ celebres, qui alui deiciendæ gratia, Uvam passam parvam vulgarem, quæ ex locis supra dictis in Italiam deferitur, simul cum vinaceis devorandam exhibent: quippe cum alvum fluidum facere in animo sit, eam potius cohibent, quam leniant: idq; potissimum, ubi uva passa temporis tractu succi partem amisit. Quare perspecta in hanc sententiam deducor, ut ad alvum emolliendam aptiores censeam Damasceñas, Cyprias ac Creticas (quibus tamen prius nuclei exempti sint, vel ea sumantur, quæ sine nucleis nascuntur) quam quæ minuta passim in officinis inveniuntur: quandoquidem hæ succi longè minus, quam corticis, & vinaceorum continent, nisi sint omnino recentes, & diligenter asservata. Quapropter si hoc tenui uvarum passarum genere, uti quandoq; cogimur ad emolliendam alvum, eas eligi præstat, quæ sine vinaceis proveniunt: vel si hæ desint, suppleant illæ quæ a nucleis fuerint expurgatæ: tametsi Damasceñas & Creticas longè bonitate cedant: de quibus sanè intellexisse Galenum, easq; ad pectoris vitia laudasse planè suspicamur. In quorum genere hæc etiâ tempestate sunt, quæ semine carent, quemadmodum quæ Galeni ætate ex Cilicia convehantur. Illud porro animadvertendum est, quod ubi quis alvum bonam facere cõtendit, non debet passis uti, quæ gustu acerbæ atem, vel austere atem relinquunt: sunt enim tales frigida, ac terrestres, quibus itaq; facultatibus cohibent, adstringunt, & roborant, præsertim si cum vinaceis nucleis comedantur. Unde scitè Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus, hæc prodidit: Uva passa cum aliis uvis eandem habent rationem, quam carica cum ficibus. Multæ enim sunt dulces, acerbæ autem omnino paucæ: plurimæ verò ex dulci & austera qualitate sunt mixtæ: quanquam dulces nonnihil quoq; austera qualitate habent, & austera dulcedinis. Caterum ut dulces temperamento sunt calidiores, ita austera frigidiores. At hoc austera stomachum roborant, & ventrem constipant, & his multo magis acerbæ: mediam autem quodammodo inter ipsas constitutionem dulces obtinent, ut quæ nec stomachum dissolvant, nec alvum subducant. Dulcibus tamen, ut vis quædam semper inest contemprandi, ita & mediocriter detergendi: quibus duabus facultatibus exiguas mordicationes, quæ os ventriculi infestant, obrundunt. Et libro 8. cap. 7. de compositione pharmacorum secundum locos, idem Galenus sic inquit: Uva passa contemptilis videri possit, ob familiarem ejus usum. At verò hoc ipsum eam facit utiliore: nam cum familiaris nobis sit, in tantum adstringens est, quantum opus habet viscus affectum. Habet autem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coercendi maligna, sitq; ipsa haud facile putredini obnoxia: & ultra hæc secundum totam substantiam

Uva passa
se confid.

Zibibum

Uva passa
in fa-
cultatibus
differe-
ntiis.Medico-
rum er-
ror.Uva pas-
sa vires
ex Gal.

stantiam, visceri ipsi, hoc est jecinori, familiaris est, & propria. Item libro de attenuante viâ ratione, sic habet: Uva passa, si non sint adstringentes, lieni quidem, & epati tumentibus non conducunt, thoracis tamen, & pulmonis affectibus conducunt. De uris autem passis ut cibis sunt, locutus est ipse Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus, his verbis: Alimento ex passis uris, tali qualitate in corpus distribuitur, qualis ipsarum natura fuerit, dulce ex dulcibus, asperum ex asperis, mistum ex his, quæ utriusque qualitatibus sunt participes. Quantitate verò copiosius ex pinguibus, ac dulcibus: parcus ex asperis & macris. Quod si passarum pinguium, dulcium, à quibus semina fuerint exempta, parvam molem cum parvarum mole contuleris, passas valentius nutrire deprehendes. Hujusmodi sanè, ut minus quàm carica subducant, abstergant, magis tamen quàm illa stomachum juvant. Hæc uva, quæ Græcis γαπίς, Uva passa Latinis pariter ac Italis vocatur: Arabibus Zibib: Germanis Weinbeerelein/Weertreibell und Rosin: Hispanis passas: Gallis Roisins en captz.

Nomina.

Οινάνθη.

OENANTHE.

CAP. V.

10

Oenante vocatur vitis sylvestris fructus, cum floret: Recodi debet fidei non picato, collectaq; substrato linteo, in umbra ficcatur. Laudatissima in Syria, & Cilicia, & Phœnice. Visei adstrictoria, quare pota stomacho, ac ciundæ urinæ utilis: alvum sistit, ac sanguinis excreationes. Contra fastidia, & acorem stomachi, sicca & illita efficax est, capitis doloribus tam viridis, quàm sicca ex aceto, & rosaceo perfunditur, sanguinolenta vulnera cataplasmate, & incipientes ægilopas, oris ulcera, & genitalium nomas trita cum melle, croco, myrrha, & rosaceo ab inflammatione vindicat. Pessis miscetur ad sistendum sanguinem: contra oculorum delacrymationem, & stomachi ardores cum polline polentæ, & vino illinitur. Cinis crematæ in testa candentibus prunis, facit ad oculorum medicamenta: reduvias, & pterygia, abscedentes gingivas, cruentasq; cum melle sanat.

20

Oenanthes consideratio.

Oenanthem non illius Labruscæ modò florem esse, quæ uvas ad maturitatem non perducit, verum etiam alterius, quæ fructum perficit, asserere non dubitamus. Nam et si superius scripsit Dioscorides, Labruscæ duorum generum esse, atque alterius uvam non maturescere, sed florentem Oenanthem nominatam perducere: nihil tamen propterea prohibet, quin alterius quoq; Labruscæ florentis uva Oenanthæ pariter dici queat, cum non aliud veteribus significet Oenanthem, quàm vitis flos. Quod in præsentis capite ipse Dioscorides manifestè declarat: quippe qui tradat Oenanthem vocari vitis sylvestris fructum, cum floret, nullius facta generis distinctione. Quin & idem in sequentibus confirmat, ubi vini oenanthini meminit, & seracis sylvestris vitis floribus fieri scribens. Ex his itaq; abundè constare arbitror, non tantum infusculis, sed etiam fructifera Labruscæ florem Oenanthem vocari posse. Adde quod id quoq; aperte testatur Gal. lib. 8. cap. 1. de compositione medicamentorum secundum locos, his verbis: At verò quemadmodum omphacium, sic etiam appello vitium sylvestrium germen una cum floribus, ex quo succedentibus diebus uva fit. Plinius lib. 12. cap. 28. Oenanthem uvam, non florem esse censet, sic inquit: Eodem & Oenanthæ pertinet: est autem Vitis labruscæ uva: colligitur cum flore, cum optimè olet: hæc Plinius: in cuius ultimis verbis suspicor mendum subesse, & fortè rectius legendum esse, cum floret, non cum flore. Non enim video, quomodo quis unquam uvam cum flore colligere possit. Caterum ne aliquis fortasse decipiat, hic non ducimus silentio dissimulandum esse lapsum Marcelli Vergilij, alioqui doctissimi interpretis, & commentatoris Dioscoridis: is autem ex ejus verbis, quæ nunc subijciam, magis innotescet. Monemus, inquit, scribere in 6. sue medicinae, Paulum Aeginetam plurimum quidem ex Labruscæ Oenanthis usum esse, quoniam egregie adstringit, stomachumq; & alvum maxime firmat. Verum tamen traditum huius, idem statim subijcit: Dioscorides autem aliam describit Oenanthem contrarias huic vires habentem, ideòq; secundum stillicidio vesicæ, & selli suffusionibus eam mederi ait. Quorum nihil in capite hoc legitur, neq; in scriptore hoc alibi legisse me memini, & nihilominus non negligenda Aeginetæ auctoritas, & testimonium est, quem credere oportet vera, & quæ aliquando legisset, testari: hæc Marcellus. In quibus sanè verbis evidentissime deprehenditur hallucinatus, vel potius eorum oblitus, quæ de Oenanthæ herba viribus huic contrariis prædita, memoria prodidit Dioscorides libro tertio. Neq; solum huius, quam tamen Latinam fecerat, non meminisse videtur: sed neq; eorum quoq; quæ ibidem in sua commentatione doctè satis scripsit. Sed aliquando etiam bonus (ut ajunt) dormitat Homerus. Illud postremo addiderim, quod etiam domestica vitis flos Oenanthæ dicitur. Verum quia sylvestris vitis vi multo magis adstrictoria pollet, is per excellentiam Oenanthæ appellatur. Dicitur igitur Græcis οινάνθη: Latinis Oenanthæ, & Labruscæ flos: Italis Enanthæ: Germanis Wildreben: Gallis Grappe de vigne sauvage.

Marcelli Vergilij lapsus.

Nomina.

Ομφάκιον.

OMPHACIUM.

CAP. VI.

50

Omphacium succus est acerbæ uvæ nondum maturescens, è Thasia vite, aut Aminæa. Oportet autem ante Canis ortum, expressam melliginem in rubro ære, linteo cooperto, insolare, usq; dum coagatur: semperq; quod cervici vasis concretum hæsit, reliquo humori permiscere: noctu verò à subdialibus locis in tectum referri, quandoquidem nocturni rores ipsum concretum non sinunt. Eligendum est flavum, friabile, vehementer adstringens, & linguam mordens. Sunt qui coquendo melliginem coquant. Prodest contra tonsillas, uvam, ulcera oris, humida gingivarum vitia, purulentas aures cum melle, aut passio: item ad fistulas, vetera ulcera, nomasq; ex aceto: dysentericis & mulieribus fluxione vulvæ laborantibus clystere infunditur: oculorum claritati, & scabritiæ, & erosionibus angulorum convenit. Bibitur ad recentem sanguinis excreationem, etiam si rupta parte aliqua contingat: sed pauco, & aqua- 60

Omphacii consideratio.

Omphacium ex omni immaturarum uvarum genere parat Italia, cum Thasia, & Aminæa careat uris, è quibus veteres suum Omphacium conficiebant, ad medicina duntaxat usum, id in sole cogentes, ubi videlicet adstrictione operatur. Quæ tamen parandi ratio hoc tempore serè prorsus exolevit. Sunt, qui ut majorem omphacio adstrictionem comparent, è sylvestri vitium uris illud exprimant, non ad medicamenta tantum, sed etiam ad ciborum condimenta. Verum ompha-

omphacium nostrum sole non cogitur, et si pluribus diebus ipsum in solari dimittamus suis cum vinaceis in cado, crasso lin-
teamine cooperto, donec excrementa subleventur, fax vero subsidat & inclarescat succus. Siquidem hac pa- andratione
absq; sale per annum incorruptum asservatur tam ad ciborum, quam ad medicamentorum usum. Omphacium (ut Ga-
lenus memoria prodidit lib. 4. simplicium medicamentorum) calidis morbis omnibus magno juvamento adhiberi potest:
quippe cum id omnino acidum sit, perfecte etiam refrigerat, uniceq; ardoribus prodest, si ve ori ventris impositum, si ve totius
hypochondrii, si ve cuilibet aliq. quod refrigerare velimus. At qui, et si scribat Galenus Omphacium acidum esse, non tamen
aceti modo in altum penetrare potest, quod Omphacium calorem (ut ipse inquit) non habeat, ut acetum, ac proinde neq;
acrimoniam. Quare Joannis Fernelii Medici clarissimi sententiam probare non possum. Siquidem in libro quinto methodi
medendi postquam omphacium frigidum ordine secundo, siccu vero primo constituit, jecoris obstructions expellere, & ob-
10 id regium morbum sedasq; colores abstergere scribit: quin & dum hac prastat, leni simul adstrictione ventriculum, je-
curq; corroborare. Quibus (quantum video) cum Galenus, tum ratio ipsa r. fragatur. Siquidem quod Omphacium primo
tantum ordine siccat, falsum sane esse convincitur Galeni ipsius testimonio, quippe qui lib. 5. cap. ultimo de simpl. medic.
facult. omphacium tertio ordine exicare, ac vehementer adstringere scribit: id quod iterum repetit libro quarto, c. 1. de
compositione medic. secundum locos: & libro & cap. 5. de medendi methodo. Quod vero omphacium jecoris obstructions
aperiat, nulla prorsus est ratio, quæ consentiat. Nam cum scribat Gal. lib. 4. cap. 5. de compositione medic. secundum ge-
nera, omnia adstringentia contrahere ac densare, quinetiam vincire, ac continere partium sibi invicem coherentium sub-
stantiam, atq; minus magisq; hoc pro adstrictionis vehementia, palam sit Fernelii sententiam hand esse probandam, &
præsertim eo argumento, quo ipse niti videtur, quod scilicet omphacium auriginem & fædos colores abstergat. Siquidem
tamen si omphacium cuti affricum, auriginem, maculasq; cutis abstergat, non tamen ob id sequitur, ut potum jecoris ob-
20 structiones aperiat. & præsertim cum stringendo & densando, quæ adstringentia sunt, summa corporum in altum penetra-
re ac permeare prohibeatur eorum virtus. Ob quam causam (inquit Galenus) pulchre nonnulli medicorum alia tenui-
um partium, & acri potestate prædita videre cogitarunt, quibus veluti ducta adstringentium vires in profundum corpus
proveniunt. Itaq; cum omphacium crassum admodum sit partium, nec quicquam caloris cum nativi, tum ascititi for-
tiatur, quo in jecur vehi possit, atq; oculos permeare meatus, non video quo pacto Fernelii opinioni acquiescere queam.
Postremo quod leni adstrictione ventriculum jecurq; corroboret, non satis Fernelii authoritate mihi constat, cum ompha-
cium Galeno (ut præmissimus) vehementer, non leviter adstringens habetur. Id Græci & præterea dicunt, quod Latini item
Omphacium: Itali Agresto: Germani Agrest: Hispani Agraz. Galli Veriust.

Omp-
aci vires
ex Gal.Jo. Fer-
nelius
r. prehen-
ditur.

Nomina,

Oly & vire.

VINI NATURA.

CAP. VII.

30 VINO veteri nervi læduntur, & reliqui sensus, quod tamen gustu suavius est: quare avendum iis, qui
a intestinae alicujus partis imbecillitatem sentiunt: attamen in secunda valetudine paucum aqua
dilutum, innoxie sumitur. Novum inflat, ægre coquitur, insomnia parit gravia, & urinam ciet. Ætate
medium utraque vitia fugit: quare ad victus sanorum, ægrorumq; usurpatur. Album, tenue, stomacho
utile est, ac facile in membra distribuitur. Nigrum vero crassum est, & concoctu difficile, carnem alit, &
ebrietatem creat. Gilvum, utpote quod medium est, medias inter utrunq; vires habet. In secunda tamen
& sinistra valetudine, cum primis laudatur album. Quin & vina sapore distant: siquidem dulce crassis
partibus constat, & difficiliter a corpore expirat: stomachum inflat, alvum & interanea ut multum tur-
bat, sed minus inebriat: renibus & vesicæ aptissimum. Austerum per urinam celerius transit: sed capita
40 dolore tentat, & temulentiam gignit. Acerbum ad ciborum per membra digestionem accommodatissi-
mum: alvum, & cæteras fluxiones cohibet, minusq; urinam expellit. Novum nervos minus tentat. Vi-
num aqua marina factum stomacho adversatur, sitim stimulat, nervos infestat, alvo aptum, a valetudi-
ne se recolligentibus inutile. Passum, quod uvis sole siccatis in area, aut in sarmento torrefactis expri-
mitur, Creticum cognomine, aut Pramnion, aut Protropon: & sapa, quæ sit musto igni decocto, Græcis
sirion, aut hepsēma appellant: nigra quidem, & quæ dicuntur Melampithia, crassa sunt, & corpora
multum alunt: candidum tenuius: & helvola inter hæc media, medias sortiuntur vires. Omnia tamen
adstringunt, & pulsus revocant: faciunt adversus venena, quæ exulcerando necant, ex oleo pota, & vo-
mitionibus reddita: contra cicutas, meconium, pharicum, toxica, & concretum in grumos lac: item
contra renum & vesicæ pruritus, rosiones exulcerationesq; inflat tamen, & stomacho adversatur.
50 Privatim, prodest melampithium, si venter rheumatismum sentiat. Album magis cæteris emollit al-
vum. Gypso conditum nervis officit, caput aggravat & incendit, ac vesicæ adversatur: contra venena
cæteris aptius. Picata aut resinata exalfaciunt, concoquunt: sanguinem excreantibus inimica. Quæ ve-
verò aparachyta vocant, ut quæ admistam sapam recipiunt, caput implent, temulentiam gignunt, ægri-
us in halitum expirant, stomachum male habent. Inter Italica vina Falernum principem locum obtinet:
quod inveteratum perquam facile coquitur, pulsus exuscitat, alvum adstringit, stomacho utile: sed ve-
sicæ nocet, atq; iis qui visus hebetudinem sentiunt, & ad potus crebros minime idoneum. Albana cras-
sioribus constant partibus: dulcia stomachum inflant, ventrem emolliunt, sed concoctionem non æq;
adjuvant, & nervosa minus infestant, vetustate eadem austerum saporem concipiunt. Cecubum, cum
sit dulce, est & Albano crassius: corpus & colorem alit: ægre tamen coquitur. Surrentinum valde auste-
rum est, quare intestinorum & stomachi fluxiones cohibet, & cum tenue sit, caput minus tentat: inve-
teratum suavius redditur, & stomacho utile. Adriaticum & Mamertinum in Sicilia æque crassis partibus
gignuntur: modicè adstringunt, & ocysimè inveteratur, minusq; ob suam tenuitatem nervos ten-
tant. Parætydianum, quod ex Adriatico sinu desertur, odoratum ac tenuius est: quare liberaliter epo-
tum fallit, diu servat ebrietatem, & soporem adfert. Istricum Parætydiano simile est, sed urinam vehe-
mentius pellit. Chium tamen antedictis mollius, & aptum potui est, bene alit, & minus inebriat, fluxio-
nes cohibet, oculorum medicamentis utile. Lesbium facile membra subit, Chio levius, & alvo idoneum.
Ephesium eandem vim habet, quod Phygelites nominatur. Verum Asianum è Tmole monte, Mesogi-
tes appellatum, capitis dolores ciet, & nervos lædit. Coum verò, & Clazomenium, quoniam multam
sibi maris aquam vendicant, facile corrumpuntur: status movent, alvum turbant, nervis officiant.

Meum
Conclusa
no legit.

Gggg 4

Vinum

Vinum omne (ut reliqua in comune dicantur) merum ac syncerum, & sua natura austerum, excoalefacit, facile in membra distribuitur, stomachum adjuvat, appetentiam ciborum invitat: vires alit, ac robur augeat: somnum conciliat, & commendat colorem. Potum liberalius auxilio est contra assumptam cicutam, coriandrum, pharicum, ixiam, meconium, argenti spumam, taxum, aconita, fungosve: contra serpentium morsus, & omnium istus, quæ refrigerando necant, aut stomachum in vomitiones effundunt. Facit ad longas inflationes, rosionesq; præcordiorum, ac distentiones, stomachi resolutionem, & si venter, aut interanea rheumatismum sentiant. Conveniunt sudatoribus, & quibus corpus immodico sudore digeritur, maxime alba, vetera & odorata. Quæ tamen vetustate dulcescunt, renibus ac vesicæ accommodatiora redduntur: vulneribus, inflammationibusq; in succida lana imponuntur: tetra ulcera, & phagedænica, fluxionibus obnoxia commodè perfunduntur. Quæ marinam non receperunt, austera 10 & alba, ad sanorum victus usurpantur. In his præstant Italica, Falernum, Surrentinum, Cecubum, Siginum, & permulta Campaniæ, & Parætypianum ab Adriatico sinu & Siculum, quod Mamertinum appellatur. Ex Græcis Chium, Lesbium & Phygelites ex Epheso. Crassa verò, & nigra stomacho negotium exhibent, inflationem parant, corpus augent. Tenuia tamē & austera stomacho profuunt, & minus carnes alunt. Vetera valde tenuia & candida vehementius urinam ciunt, & dolores capitis movent nervosq; largius pota tentant. In media ætate, ut à septimo anno potui saluberrima sunt. Modus autem pro ætate, & tempore anni, & consuetudine & qualitate vini definiatur. Non sitire, & modicè cibos proli, optimum est præceptum. Nocet ebrietas omnis & maxime assidua: siquidem obfessos nervos quotidie remittit: largiorq; potus acutorum morborum adfert initia. Mediocris tamen vinolentia aliquot diebus, maxime post aquæ potus, utilis: namq; modo quodam ex alto evocat, sensilesq; expurgat 20 excretus, & per cæca corporis ducit spiracula. Sed aquam post vinolentiam bibere oportet: siquidem valetudinis alicujus gratia factæ temulentia remedium adfert frigida.

Vini fa-
cultates
varie pro
modo
usur.

Cum profecto Vinum sit liquor omnium suavisimus, præcipuum humana vitæ bonum ac præstantissimum subsidium, vitæ spirituum re-generator maximus, ac omnium corporis tum facultatum, tum functionum instaurator optimus, cui latius et tueaturq; summopere, nulli mirum esse debet, quod plantæ, quæ fructum fert, ex quo vinum exprimitur, Vitem, quasi viat, appellaverint veteres. Verum non ob id gaudeant jubilentq; q, qui vino nimis indulgent, quod ego ipsum tot laudibus extulerim: quippe cum omne extremum (ut in communi proverbio est) sit vitiosum. Si vinum immoderatè, & plus quam deceat, bibatur, periculosos atq; horrendos (ut vox dicitur) procreat morbos. Alias si in ejus usu temperantia adhibeatur, tum ad alendum, tum etiam ad roborandum corpus omnium efficacissimum habetur, quandoquidem purif- 30
simum generat sanguinem, optime in alimentum vertitur, concoctionem in quavis corporis parte adjuvat, animum addit, cerebrum purgat, intellectum excitat, cor exhilarat, spiritus vivificat, urinam ciēt, status discutit, innatum calorem augeat, convalescentes impingat, cibi appetentiam invitat, sanguinem turbidum clarificat, obstructions aperit, alimentum in universum corpus adest, colorem conciliat, & omne in corpore excrementosum deiecit. Sed si modus absit, & sine ratione, ac temperamento sumatur ingurgiteturve (quod facere solent ebriosi) ex accidenti totum refrigerat corpus: neq; enim secus nimis ejus potu (ut Galenus inquit) innatus corporis calor suffocatur, atq; parvus ignis magna lignorum strue extinguitur. Præterea cerebro, spinali medulla, ac nervis inde exorientib; obest: hinc fit, ut principe hac parte affecta, tem-
poris tractu maximi, & perniciosi concitentur morbi, nempe apoplexia, epilepsia, paralytis, tremor, stupor, ephialtes, cataleptis, convulsio, vertigo, articulorum contractio, lethargus, phrenitis, desillatio, surditas, cæci as, & oris labiorumq; distentio. Quinetiam vinum immoderatè haustum, bonos corrumpit mores: nam quod homines contentiosi, loquaces, effrenesq; fiant, quod furant, menteq; moveantur, quod deniq; alee, libidini ac rei venereæ semper serè indulgeant, ac nonnunquam homicidia committant, nulli verius adscribendum est, quàm vino immodicè sumpto. Adde quod memoriam disti- 40
pat, sensus omnes perturbat, assiduos morbos parit, & repentinæ mortes adfert: ne singula persequar, quæ recensere longum esset, & audire molestum ijs, qui nimium vino dediti sunt. Caterum Vinum magis senectuti, quàm reliquis ætatibus convenit: id siquidem frigidam sentem temperiem, talem annorum multitudine redditam, temperat ac mulcet. Verum pueris, ac adolescentibus ad vigesimum annum usq; minimè concedi debet, si Galeni sententia subscribendum esse putamus, qui libro secundo de tuenda sanitate, nil aliud asserit vinum esse pueris, & adolescentibus exhibitum, quàm ignem igni additum. Cavendum quoq; est, ne in ardoribus æstatis vinum nive, aut glacie, aut gelidissima aqua perfrigeratum hauriatur: quod cerebro, nervis, pectori, pulmone, ventriculo, intestinis, spleni, jecitori, renibus, vesicæ, utero, dentibusq; maxime noceat: Quare admirari non licet, si tempore vinum arte frigidatum bibentes coli & ventriculi cruciatibus afficit, item convulsionibus, resolutionibus, apoplexia, spirandi difficultate, urina suppressione, calculo, viscerum ob-
structione, aqua intercutè, ac pluribus aliis gravibus & pernicialibus morbis. Proinde sensimè Galenus libro de cibis boni 50
& mali succi, hac prodidit. Qui non exercentur summa ætate, cum vehemēti calore urgentur, fontis aquam bibant, nivisq; & vini refrigerati usum vitent. Hac enim quamvis protinus nullam juvenum corporibus sensibilem læsionem inferant, sensim tamen, occulteq; crescente vitio, cum jam atas progressu temporis inclinaverit, articulos nervosq; & viscera ijs morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non possunt. Ad hac in tuenda sanitate diligenter
procurandum est, ut vinum, quod in potu alimenti gratia quotidie sumitur, sit mundum, purum, clarum, odoratum, & sapore jucundum: namque corruptum, turbidum, impurum, odore gravi, & gustu ingrato, non modò toti corpori no-
xam infert, sed etiam sanguinem corrumpit. Quapropter felicissimè suam tuentur sanitatem, quæ regiones incolunt, in quibus optima vina proveniunt: quemadmodum in Goritienfi comitatu, ubi sanè generosissima vina nascuntur, nimirum 60
Pucinum illud antiquè adeò celebratum, necnon Vipacum illi bonitate proximum. Hac quidem parè modestèq; pota, ad tuendam sanitatem mirificè conferunt. Id quod ipse experientia in mescia comperi, atq; etiam omnibus ingenuè testari possum: nam cum multis antè annis diuturnus ventriculi dolor malè me habuisset, quem totius corporis imbecillitas consecuta erat, ex Pucini & Vipaci tantum usu, me pristinam meam sanitatem, & integrum robur adeptum esse certo scio. Ob id ergo mirandum non est, si Plinius magnis laudibus prædicavit Pucinum libro 14. cap. 6. ubi ita scriptum reliquit: Livia Augusta octuaginta duos annos vitæ Pucino retulit acceptos, non alio usa. Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul à Timavo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras: nec aliud aptius medicamentis judicatur. Hoc esse crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus pyctanum appellaverunt ex Adriatico sinu: hac Plinius. Cujus certe testimonio plane subscribunt rustici Japidia incolæ: quippe cum q; vini Pucino cognatis in quotidiana
no po-

Vinum
cui ætati
conveniat

Vinum
glacie
vel nive
refrige-
ratum
malum.

Vini opti-
mi notæ.

Genero-
sissima
vina in
Goriti-
ensi a-
gro.

Vinum
Pucini.

no potu ut autur, rarissime egrotant, & longam admodum vitam traducunt, adeo ut plurimi reperiantur, qui nonagesimum & centesimum annum attingunt. Est autem vinum hoc tenue, clarum, lucidum, colore aureum, odoratum, gustuq; gratissimum. Potum valenter excalfacit, nisi dilutum fuerit, facileq; in universum permeat corpus. Quamobrem (ut lib. tertio simplicium medicamentorum scribit Galenus) tale natura vinum, non modo perfrigeratorum omnium, sed eorum etiam, qui aut ex oris ventriculi, aut cordis dolore animi deliquium patiuntur, presentaneum fuerit remedium. Ex quibus facile colligi potest, felicissimos esse eos, qui in regionibus, quae vina optima ferunt, oriuntur, si tamen modeste (ut fieri decet) eis utantur. Ceterum quae vina in universum quotidiano usui magis convenient, hic longiori sermone commemorare supervacuum duximus, cum hoc à Dioscoride latius sit proditum, atq; etiam de omnium vinorum viribus diligentius scriptum, quam ut plura à nobis referri debeant. Fit è vino aqua per alembicum (ut vocant) quam ob eius

10 admirandas vires Aquam vitæ appellavere sapientes. Nam si ex vino optimo à perito opifice parata sit, merito hoc nomine appellari debet. Quemadmodum enim, quae in eo macerantur, ab omni corruptione praeservat, ita sumentium quoq; vitam, sublatam omni putredine, custodit, fovet, reparat, tuetur, auget & producit, cum non solum nativum calorem foveat, & in suo vigore conservet, sed vitales quoq; spiritus regeneret & vivificet, ventriculum calefaciat, cerebrum & intellectum acuat, visum clarificet, & memoriam reparat, & praesertim si ab his sumatur, qui frigidiusculo sunt temperamento, quiq; cruditatibus ventriculi, flatibus, & aliis quibuscunq; frigidis affectibus obnoxii sunt. Quare, his, qui ventriculi dolore à flatu, aut cruditate torquentur, vertiginosis, comitialibus, resolutis, melancholicis, veterosis, hypochondriacis, & cordis pulsu, aut tremore, & animi deliquio laborantibus, summum est auxilium, si quotidie sumatur cochlearis communis mensura. Atqui longè praestantius Antidotum evadit, ubi hoc modo paratur, quo ego mihi parare soleo. Sumito cinnamomi unciam, gingeris drach. quatuor, santalorum omnium singulorum drach. sex, caryophyllorum un. galan-

20 ga, nucis myristicae sing. drach. duas & semis, macis, combebarum, sing. drach. unam. Cardamomi utriusq; sem. melanthii, sing. drach. tres. Zedoariae semunciam sem. anisi, feniculi dulcis, pastinacae sylvestris, ocini, rad. angelicae, caryophyllatae, glycyrrhizae, calami odorati, minoris phu, foliorum sclareae, thymi, calaminthae, pulegii, menthae, serpylli, amaraci sing. drach. duas: rosarum rubearum, florum salviae, betonicae, rosmarinii, stoechadi, buglosi, borraginis sing. sesquidrachmam: corticum citri drach. tres: pulveris diambrae, aromatici rosati, Diamusci dulcis, Diamargariti, Diarhodonis ab-

30 batis, electuarii de gemmis sing. drach. tres: Terantur, quae terenda sunt, & deinde in vitreo vase macerentur, ex libris duodecim aqua vitæ praestantissima, è selectissimo vino parata, ocluso subinde vasis osculo, diebus quindecim continuis. Ac deinde vitreo alembico vasi superposito, per aqua ferventis balneum à perito artifice distillantur, osculo alembici adeo conclusis, ut nihil inde expirare possit. Aqua quae inde fluxerit, in aliud subinde vas recondatur, additis santali odorati ressellatim concisi duabus drachmis, moschi, ambrai, in tenui linteolo colligati sing. semis scrupulo, & julapij rosati clarissimi libra. Demum concutiantur fortiter, quousq; julapium cum aqua misceatur, claudaturq; deinde vas cera & membrana, & ita quiescat diebus quindecim continuis: & ultimo in aliud transferatur vitrum, ibiq; asservetur. Est itaq; haec aqua Antidorum praestantissimum, & presentaneum auxilium ad omnia praedicta. Quippe non solum hausta, sed in faciem ex-

alterius ore projecta, epilepticos, defectos animo, & feminas uteri strangulatu decedentes revocat, loquelam amissam restituit, & jamjam moribundos tam diu sustinet, ut quandoq; miraculi speciem afferat. Additur etiam in clysteribus colicorum uncia pondere presentaneo auxilio, ubi à flatu aut frigiditate proveniat morbus: & praesertim additis theriacae, aut mithridatis Antidoti binis drachmis: & uno verbo omnia ferè comprehendam, medicamentum est summum ad frigidos omnes affectus. Vinum sic Latine, & autem Graece vocatur: Germanice Wein; Italice pariter & Hispanice Vino.

Aqua vitæ & eius vires.

Aqua si-
ve Elixir
vitæ Mat-
thioli pa-
randita-
tio.Vires
mirabi-
les.

Nomina.

Οἶνο & ὁμαρμένη.

VINUM OMPHACITES.

CAP. VIII.

Omphacites nomine, peculiariter fit in Lesbo siccata sole acri uva, paulò ante maturitatem decerpta, triduo aut quadriduo, donec racemi in rugas contrahantur expressumque vinum cadis insolatur. Vim adstringendi habet, prodest dissolutis stomacho, & ilei dolore laborantibus: item praenantium malaciae & crudis: in pestilentia quoque sorptum auxiliari dicitur. Huiusmodi vina non nisi post multos annos bibi possunt.

Δευτερια.

LORA.

CAP. IX.

Lora, quam Deuteriam, alii Potimon appellant, fieri solet adjectis metretis tribus aquae in vinacea, quibus triginta vini metretae extractae fuerint: calcatis vinaceis, expressoq; decocto ad tertias partes, & additis in singulos congios modi ejus qui remansit, binis salis sextariis, post hyemem transfunditur in vasa. Lora intra annum utendum, etenim celeriter exolefcit. Convenit aëris, quibus timemus

50 noxam vini, coacti saepe desiderii eorum obtemperare: item à longa valetudine se recolligentibus. Fit & vinum, quod Adynamon vocant, lorae vires habens, hoc modo. Pares aquae, & musti mensurae coquantur molli igne, donec absumatur aqua: quod, ubi refrigerit, elutriatum picato vase reconditur. Alii marinæ, & coelestis aquae, mellis & musti pares miscent portiones, decapulant, & quadraginta diebus insolant, quo ad annum utuntur ad omnia eadem.

Lora alia ratione Galeni etate, quam Dioscoridis parabatur. Ille siquidem Loram faciendi modum lib. 2. de alimen-

60 torum facultatibus, his verbis tradidit. Vinaceorum quoq; dilutum Graeci ῥήγναι vocitant: quod rursus ab Atticis ῥήγναι, à nostratibus ῥήγναι, id est, Lora appellatur. Conjectis namq; in parva dolia vinaceis, tantum aqua super affundunt, quoad omnia permadeant. Quod ubi satis factum videtur, in doli fundo foramen aperiunt, ut dilutum effluat, idq; pro vino bibunt. Perspicuum autem est, quod pro racemorum copia aquam affundunt, experientia docti: quod videlicet neq; aquosa admodum, neq; meraca sit Lora. Deinde rursus aliam aquam, parciorem tamen priori, vinaceis affundunt, sic ut hoc quoq; potioni sit attemperatum: quod quidam Attica proprietatis curiosi proprie ῥήγναι dici volunt, non veluti prius illud. Uteraq; Lora capiti dolorem adfert, nisi dilutior bibatur, sed prior magis caput ferit. Dos una huius potioni concessa est, nempe quod ocyus per urinam reddatur: sed non pauca subest diversitas ex varia uvarum specie, cultate, è quibus vinacei sunt reliqui. Etenim si dulces fuerint, potus multò erit suavior, citiusq; per urinas excernetur: sin-

vero

Loræ pa-
randæ
ratio ex
Gal.Loræ fa-
cultas

vero acerbæ & acidæ fuerint, insuavior longè, ac minus ciens urinas. Porro dilutum hoc valentius vinosiusq; efficitur, cum vinacens ad ver, aut astatem fuerit asservatus. Hyemis autem tempore si quis utatur, ut caput minus tentat, ita & per urinas minus expellitur. Hæc de lora Galenus. Ea *Δυσήμα* Græci, Latinis Lora, & Italis Acquarello appellatur.

Οἶνον ἐν τῇς ἀγρίαις σταφυλαῖς.

VINUM ELABRUSCA. CAP. X.

Vinum è sylvestri uva nigrum, adstringit: prodest alvi & stomachi fluxionibus, & cæteris, quibus constrictione & contractione opus est.

Vinum
ex La-
brusca
uvæ.

Non desunt in Hetruria, qui vinum è Labrusca uvæ exprimant, colore admodum nigro, idq; giluo admiscant, ut rubicundius reddatur. Utuntur eorustici in alterius vini penuria, siquidem constat dulce simul, & austro: verum statu temporis dulcedinem facile deperdit, sicq; tunc gustui omnino insuave, adeo ut tantum medicamenti vicem expleat, ubi adstrictione sit opus.

Οἶνον ἐν μελίτι.

VINUM MELITITES. CAP. XI.

Melitites datur in longis febribus, quæ stomachum infirmarunt: namq; alvum leviter emollit, urinam ciet, stomachum expurgat: prodest articulario morbo, renum vitiis, imbecillo capiti, & mulieribus abstemiis: odoratum siquidem est, & corpus alit. Distat à mulso, quod sit è vino vetere, austro & melle exiguo. Melitites autem adjecto ad quinq; congios austeri musti, mellis congio, & salis cyatho. Cortinis magnis, quò magis ad effervescendum locus pateat, fieri oportet, sensim asperso sale, cumq; effervere defuerit, in alia vasa transfunditur.

Οἶνον ἐν μύρτι.

MULSUM. CAP. XII.

Mulsum è vetere vino austroq; & bono melle factum, præfertur: minus enim inflat, ac celeriter id genus in usum venit. Vetus, corpus alit: media ætate, alvo prodest, urinam pellit: à summo cibo sumptum, nocet: & inter initia potum, implet: dein appetendi aviditatem revocat. Fit mulsum duabus vini metretis, admista uva mellis. Aliqui, quò celerius præberi possit, mel cum vino coquunt, & ita transfundunt. Alii utilitatis gratia, ad sextarios sex multi ferventis unum mellis adjiciunt: & ubi fer- buerit, vase recondunt: dulce autem permanet.

Μελλίπνευτον.

AQUA MULSA. CAP. XIII.

Aqua mulsa easdem, quas mulsum vires possidet, Cruda utimur cum moliri dejectionem, aut vomitionem incitare volumus: ut iis, qui venena hauserunt, ex oleo. Decocta datur imbecillis, & hominibus elanguescentis pulsus, quos illi dixerunt microphyctos, tu sientibus, peripneumoniacis, & iis qui immodico sudore digeruntur. Jam paratum, conditivumq; quod aliqui hydromeli proprie vocant, media ætate adynamo vino, aut loræ in recreandis viribus respondet, & similem vim adipiscitur, quare inflammationibus alicujus membri plusquam lora prodest. In veterati tamen usus damnatur inflammationibus, aut constrixis: sed laboranti stomacho, aut cibum fastidienti, sudatoribusve convenit. Fit duabus pluvie aquæ veteris ad unam mellis partem additis & insolaris. Alii fontanam aquam adjiciunt, & ad tertias partes decoquunt, & ita recondunt. Nec desunt qui hydromeli appellent: quòd à melle elutis aqua favis confici ac fervari soleat: sed meracius confieri convenit: aliqui id coquunt. Ægrotantibus noxium est, quoniam plurimum ceraginis sibi vendicat.

Aquæ
mulsæ
faciendæ
ratio va-
ria.

Alia sanè Aqua mulsa ratio conficienda est apud Mauritanæ familie aut hores, ab hac qua hic à Dioscoride traditur. Inter Arabas namq; Mesues de ea ita scribit: Aqua mulsa, ex antiquorum sententia, magnis utiq; viribus prædita est. Sitim etenim ardet: frigidis affectibus, præsertim cerebri, & nervorum & articularum, auxiliatur. Loco vini pota humidæ extusientibus prodest: quin & pus, & lentam, crassamq; pituitam è pectore trahit. Intestina, viscera, urinariosq; meatus purgat, terget ac lavat: quapropter subvenit coli doloribus, alvum subducit, & calculum gigni prohibet. Fit è libra laudatissimi mellis, non tamen veteris, colore pallido, odore jucundo, sapore cum dulcedine modicè acri, cum aqua fontana libris octo, in vase lapideo, vel fictili vitreato, lento igni decocta despumataq; & demum linteo percolata. Verum si aqua hæc paulò post bibenda erit, aquatior fiat, & statim à sublata spuma percoletur. Nam qua longa coctione julapij consistentiam acquirit, diutius quidem servari potest, sed ægrum penetrat in remotas corporis partes, facileq; in bilem vertitur, ob suam exuperantem dulcedinem, unde sitim accendit, nisi plurima affusa aqua dissolvatur, adeo ut aqua ferè modo reddatur insipida. Variant autem mulsa facultates pro diversa coctionis ratione, quippe qua brevi coquitur tempore, status in ventriculo parit, alvum magis movet & minus nutrit: qua verò longiori coquitur tempore, status discutit, magis nutrit, minusq; alvum stimulat. Sunt qui mulsa aromata etiam addant, nempe gingiber, crocum, cinnamomum, macim, & id genus alia. Alij galliam moschatam officinis vocatam, & agallochum adjiciunt. Fit præterea ex parte una mellis, & aqua fontana partibus octo, fermenti (alias sæni graci) in his dissoluti uncii tribus, & propriè ad centum mulsa libras. Quæ deniq; omnia, musti modo effervescenda in ligneum cadum conjiciuntur, non tamen ad summum repletum, ne fervescens resiliat. Ubi verò defervuerit obturato vase, asservetur vini modo ad potandum, verum tamen non bibatur, nisi tertio mense transacto. Huic mulsæ aromata quoq; admisceri possunt linteolo inclusa, & adalligata in cadum demissa: hæc Mesues. Cujus ultimam mulsa paranda rationem, Germani Medonem vocant, qui tamen fermentum addunt, non ex cere alium genere aliquo paratum, sed ex vini musti recremento, & lupi salictarii floribus, quibus etiam utuntur ad zythum conficiendum, quod Cervisiam appellant. Medonis plurimum bibant Poloni ac Litvani, quòd melle plurimo abundent. Quod Græci *Μελλίπνευτον* Latini item Melicratum & Aqua mulsa vocatur: Italis Acqua melata.

Nomina.

† Hoc